LECTIO ECCLESIAE

RAYMOND OF AGUILERS

HISTORIA FRANCORUM QUI CEPERUNT IHERUSALEM

ad ūsum discipulōrum ēdita

vocābulis Latīnē explicātīs, vōcālibus longīs notātīs, imāginibus

LECTIO ECCLESIAE PRESS

The text follows Raymond of Aguilers, *Historia Francorum qui ceperunt Iherusalem*: Recueil des historiens des croisades, Historiens occidentaux, tome III. Paris: Imprimerie impériale, 1866, pp. 235–305 (the prefatory letter and chapters I–XXI, to the explicit).

A work in the public domain. Misprints of the old edition are corrected.

Vowel lengths are marked throughout. The spelling uses *v* for the consonant, *i* for vowel and consonant alike, and *ae* and *oe* as two letters. The notes in the margin are in Latin.

Sentences and definitions quoted in the margin come from the Vulgate (cited by the usual abbreviations) and from: Act. mart. = Gaume, Selecta martyrum acta; Du Cange = Du Cange, Glossarium mediae et infimae latinitatis, ed. Favre (Niort, 1883–87); Epit. = Lhomond, Epitome historiae sacrae; Fab. fac. = Ritchie, Fabulae faciles; Heuz. Syn. = Heuzet, Synopsis vitae Christi, B. V. Mariae, ac SS. Apostolorum; Heuz. VT I = Heuzet, Selectae e Veteri Testamento historiae, pars prima; Heuz. VT II = Heuzet, Selectae e Veteri Testamento historiae, pars secunda; Heuz. prof. = Heuzet, Selectae e profanis scriptoribus historiae; Imit. = Thomas a Kempis, De imitatione Christi; Ora mar. = Sonnenschein, Ora maritima; Pons tir. = Appleton and Jones, Pons tironum; Prim. ann. = Paine and Mainwaring, Primus annus; Pro patr. = Sonnenschein, Pro patria; Puer Rom. = Appleton and Jones, Puer Romanus; Sulp. Dial. = Sulpicius Severus, Dialogi; Sulp. Ep. = Sulpicius Severus, Epistulae; Sulp. Mart. = Sulpicius Severus, Vita sancti Martini; Vestib. = Comenius, Ianuae Latinitatis vestibulum; Vit. sanct. = Gaume, Selectae sanctorum vitae; Viv. = Vives, Linguae latinae exercitatio.

Pictures. At the head of the letter and of chapters: Gustave Doré, illustrations to Joseph-François Michaud, *Histoire des croisades* (Paris, 1877), from the reproductions in James P. Boyd, *Story of the Crusades* (Philadelphia, 1892), and, for the letter, from the copy on Wikimedia Commons. All in the public domain.

Set in Junicode and Gentium Plus (SIL Open Font License). All rights in this edition reserved.

Published by Lectio Ecclesiae Press · lectioecclesiae.com


Corrections are gratefully received at editor@lectioecclesiae.com.

ISBN 979-8-954279-00-9 (paperback) · ISBN 979-8-954279-01-6 (hardcover)



¶ Episcopō Vivariēnsī dominō meō. et omnibus orthodoxīs, Pontius dē Baladunō, et Raimundus, canonicus Podiēnsis, salūtem, et labōris nostrī participātiōnem. Necessārium dūximus vōbīs et Trānsalpīnīs omnibus manifestāre māgnālia quae Deus nōbīscum, solitō pietātis suae mōre, fēcit, et assiduē facere nōn dēsinit; māximē ideō quia imbellēs et pavidī, recēdentēs ā nōbīs, falsitātem prō vēritāte astruere nītuntur. Sed quī apostasiam eōrum vīderit, verba et cōnsortia eōrum fugiat. Exercitus enim Deī, etsī prō peccātīs flagellum Dominī suī sustinuit, prō eiusdem misericordiā victor super omnem paganimitātem exstitit. Sed quia aliī per Sclavoniam, aliī per Hungariam, aliī per Longobardiam, aliī per mare vēnērunt, taediōsum nōbīs ad scrībendum dē singulīs fuit. Quāpropter, dīmissīs aliīs, dē comite, et episcopō Podiēnsī, et exercitū eōrum scrībere cūrāvimus.

participātiō -ōnis f “nōnne participātio corporis Dominī est” (I Cor. 10)
manifestō “Deus enim illīs manifestāvit.” (Rom. 1)
māgnālia “quī fēcit māgnālia in Aegyptō” (Ps. 105)
assiduē = frequenter
dēsinō = cessō
pavidus “Beātus homō quī semper est pavidus” (Prov. 28)
falsitās -ātis f < falsus
nītor = labōrō
apostasia -ae f “Dēsertiō mīlitum” (Du Cange)
flagellum -i n “congregāta sunt super mē flagella” (Ps. 34)
victor -ōris m < vincere
exsistō “fac nōs tālēs existere” (Imit. 4, 9)



I

DE MALIS QUAE SUSTINUIT EXERCITUS FRANCORUM IN SCLAVONIA

dispendium -ī n “parvuli trānseuntēs sustinuērunt dispendia” (Prov. 27)
montuōsus < mōns

fera -ae f = bestia
volucris -is f = avis
rudis “porrō Roboam erat rudis” (II Par. 13)
ducātus -ūs m “caecus autem sī caecō ducātum praestet” (Matth. 15)
dēbilis = īnfirmus
anus “Quibus factīs anus domum rediit” (Pons tir. 7)
trucīdō = occīdō
armātus “Sīn autem nōluerint trānsīre armātī vōbīscum in terram Chanaān” (Num. 32)

facinus -oris n = opus
ēgregius = māgnus
con-clūdō = claudō

capiō cēpit

¶ Illī igitur Sclavoniam ingressī, multa dispendia itineris passī sunt, māximē propter hyemem quae tunc erat. Sclavonia etenim est tellūs dēserta et invia, et montuōsa, ubi nec ferās nec volucrēs per trēs hebdomadas vīdimus. Incolae regiōnis adeō agrestēs et rudēs sunt, ut nec commercium nōbīs, nec ducātum praebēre voluerint; sed fugientēs dē vīcīs et dē castellīs suīs, dēbilēs anūs et pauperēs īnfirmōs, quī ā longē prae īnfirmitāte suā sequēbantur exercitum nostrum, ac sī multum nocuissent, ut pecora trucīdābant. Nec facile nostrīs mīlitibus armātīs erat latrōnēs inermēs, locōrum scientēs, per abrupta montium et condēnsa sylvārum persequī; sed assiduē eōs sustinēbant, nec pūgnāre valentēs, nec sine pūgnā esse poterant.

Quoddam facinus ēgregium comitis nōn praetereāmus. Quum conclūsus esset aliquandō comes ā Sclavīs cum quibusdam mīlitibus suīs, impetum in Sclavōs fēcit, atque ex eīs usque ad sex cēpit. Quumque propter hoc Sclavī

vehementius imminērent, et comes sequī exercitum compellerētur, ēruī oculōs aliōrum, et aliōrum pedēs abscīdī iussit, et nāsum et manūs aliōrum truncārī praecēpit, ut tāliter aliīs dēterritīs et dolōris cōgnitiōne occupātīs, sēcūrē comes effugere cum sociīs suīs posset. Itaque per Deī grātiam dē mortis angustiā et dē locī difficultāte līberātus est. Quantā vērō fortitūdine et cōnsiliō comes ibi clāruerit, nōn facile referendum est.

Quadrāgintā etenim ferē diēs in Sclavoniā fuimus, in quibus tantam spissitūdinem nebulārum passī sumus, ut palpāre et per mōtum removēre eās ā nōbīs aliquātenus possēmus. Inter haec comes assiduē in postrēmīs pūgnāns, semper populum dēfendēns erat; nunquam prior, sed semper ultimus hospitābātur. Et licet aliī merīdiē, aliī vespere, comes frequenter mediā nocte, vel gallī cantū, ad hospitium veniēbat. Tandem per Deī misericordiam et comitis labōrem et episcopī cōnsilium, sīc exercitus trānsīvit, ut nūllum famē, nūllum in apertā congressiōne ibi perderēmus.

Ob illam reor causam voluit Deus exercitum suum trānsīre per Sclavoniam, ut agrestēs hominēs quī Deum īgnōrābant, cōgnitā virtūte et patientiā mīlitum eius, aut aliquandō ā feritāte resipīscant, aut inexcūsābilēs Deī iūdiciō addūcantur. Tandem post multa labōrum, ad rēgem Sclavōrum, apud Scodram, vēnimus; cum eō comes frāternitātem cōnfirmāvit, et multa eī tribuit, ut exercitus sēcūrē emere et quaerere necessāria posset. Sed haec opīniō sōla fuit. Nam satis pācis petītae nōs poenituit: quum per eius occāsiōnem Sclavī, solitō dē mōre furentēs, nostrōs interficiunt, et quae poterant ab inermibus abripiunt. Quaesīvimus locum fugae, nōn ultiōnis. Hactenus dē Sclavoniā.

Vēnimus Dirachium: crēdidimus esse in patriā nostrā, existimantēs imperātōrem Alexium et satellitēs suōs nōbīs esse frātrēs et coadiūtōrēs. Illī vērō, rītū leōnum incrūdescentēs, pācificōs hominēs, nihil minus quam arma cōgitantēs, invādunt; per occulta trucīdant; in nemoribus, in vīcīs remōtīs ā castrīs, quae poterant per noctem fūrābantur. Et licet

immineō “vītae suae semper imminēre” (Heuz. VT II 44)
abs-cīdō
nāsus -ī m “tertia medium nāsum contigit” (Puer Rom. 5)
truncō “ibi capite truncātī sunt” (Act. mart. 28)
praecipiō praecēpit
tāliter < tālis
dēterreō “nōn erit quī dēterreat” (Mich. 4)
cōgnitiō -ōnis f < cōgnōscere
difficultās -ātis f “Herculēs māgnam difficultātem habēbat” (Fab. fac. 40)
clārēscō “Sīc enim per tōtum clāruit mundum” (Vit. sanct. 83)
nebula -ae f “nebula implēvit domum Domini” (III Reg. 8)
palpō = tangō
mōtus -ūs m < movēre
re-moveō = āvertō
postrēmus = novissimus
dēfendō = tegō
ultimus “in ultimō spīritū cōnstitūtus” (II Mach. 7)
cantus < canere
hospitium -ī n “intrōdūxit eum in hospitium” (Heuz. VT I 11)
trānseō trānsīvit
congressiō -ōnis f “Ut ergō sine congressiōne pūgnae possīs superāre eōs” (Iudith 7)
reor = putō
resipīscō = redeō
inexcūsābilis “ita ut sint inexcūsābilēs” (Rom. 1)
sēcūrē “veniam ad quiēscentēs habitantēsque sēcūrē” (Ez. 38)
opīniō -ōnis f = sententia
poeniteō “post factum nōn poenitēbis” (Eccli. 32)
occāsiō -ōnis f “quaereret occāsiōnem contrā Philisthiim” (Iud. 14)
solitus “sacerdōtibus solitās hostiās offerentibus” (II Mach. 14)
furō “Cum furerēs adversum mē” (Is. 37)
ab-ripiō = rapiō
satelles -itis m f = comes
rītus -ūs m = mōs
invādō “Sī servum ancillamque invāserit” (Ex. 21)
occulō “in loca occulta in dēsertō” (I Mach. 2)
nemus -oris n = silva
vīcus -ī m “quī est Galilaeae vīcus” (Vit. sanct. 3)

īnsāniō “amplius īnsāniēns in eōs” (Act. 26)

ultiō “quoniam ultiō Dominī est” (Ier. 50)

frāternitās -ātis f “Cāritās frāternitātis maneat in vōbīs” (Hebr. 13)
tenus “quam multī ōre tenus praedicant” (Imit. 3, 32)
retrō “Vāde retrō mē Satana” (Marc. 8)
īnsidior cf. īnsidiae

sīc īnsānīrent, tamen dux eōrum, pācem prōmittēbat; et per pācis indūciās Pontium Rainaldum interfēcērunt, et frātrem suum Petrum mortāliter vulnerāvērunt; et erant hī prīncipēs nōbilissimī. Quumque locus ultiōnī nōbīs offerrētur, placuit iter, nōn iniūriārum vindicta. Incēpimus iter. Habuimus obviam lītterās imperātōris dē pāce, dē frāternitāte, et, ut ita dīcam, dē fīliātiōne: haec autem verbō tenus. Nam ante et retrō, dextrorsum et sinistrorsum, Turcī et Comānī, Husī et Tanaces, Pincenatī et Bulgarī, nōbīs īnsidiābantur.

2

UBI EPISCOPUS PODIENSIS CAPTUS FUIT A PINCENATIS, ET IN CAPITE VULNERATUS

¶ Quādam autem diē quum essēmus in valle Pelagoniae, episcopus Podiēnsis, grātiā convenienter hospitandī, quum paulisper ā castrīs discessisset, ā Pincenatīs captus est, quī, deiicientēs eum dē mūlā, spoliāvērunt, et in capite graviter eum percussērunt. Sed quia tantus pontifex adhūc populō Deī erat necessārius, per eius misericordiam vītae est reservātus. Nam ūnus Pincenatus, dum aurum ab eō quaereret, ā cēterīs eum dēfendēbat; intereā sonus audītur in castrīs, et sīc inter moram hostium et impetum sociōrum ēripitur. Tāliter per īnsidiās quum vēnissēmus ad quoddam castrum, quod vocātur Būcinat, didicit comes quod in angustiīs cuiusdam montis Pincenatī exercitum nostrum aggredī vellent; cum mīlitibus quibusdam in occultīs remanēns, Pincenatīs occurrit, atque plūribus interfectīs, cēterōs in fugam vertit. Occurrēbant intereā pācificae litterae imperātōris; circumdabant nōs undique hostēs imperātōriīs dolīs. Quum vērō vēnissēmus Thessalonīcam, īnfirmātus est episcopus, et remānsit cum paucīs īnfrā cīvitātem.

mūla -ae f “imposuērunt eum super mūlam rēgis” (III Reg. 1)
spoliō “Spoliāvit mē glōriā meā” (Iob 19)

reservō “reserventur quidem ut vīvant” (Ios. 9)
sonus “sonum dē ōre illīus prōcēdentem” (Iob 37)

castrum -ī n “ego eram in Sūsīs castrō” (Neh. 1)

volō vellent
occultus “quod fēcistī in occultō” (Ps. 138)

undique “conveniēbant ad eum undique” (Marc. 1)
īnfirmō “cuius fīlius īnfirmābātur Capharnaum” (Ioan. 4)
manifestē “Spīritus autem manifestē dicit” (I Tim. 4)
mōlior = parō
paulisper “Stā paulisper iuxtā holocaustum tuum” (Num. 23)
displiceō “Displicuit sermō in oculīs Samuēlis” (I Reg. 8)
ar-ripiō = corripiō
diruō = dēstruō
īnferō illātīs
ac-clāmō

Post haec vēnimus ad quamdam cīvitātem nōmine Rossam: ubi quum manifestē cīvēs eius in nōs multa mala mōlīrentur, paulisper nostra solita patientia displicuit. Itaque arreptīs armīs, dīruuntur antemūrālia; capitur ingēns praeda, et cīvitās in dēditiōnem; atque illātīs sīgnīs in cīvitātem, et acclāmātā Tolōsā, quod erat sīgnum clāmōris

comitī, discessimus. Vēnimus ad aliam cīvitātem, nōmine Rodestol: ubi quum mīlitēs dē rogā imperātōris, vindictam suī contrā nōs agere quaererent, multī ex ipsīs interfectī sunt, et aliquantula capta praeda. Vēnērunt ibi nōbīs lēgātī nostrī, quōs praemīserāmus ad imperātōrem; quī, acceptā pecūniā ab eō, omnia nōbīs prospera apud imperātōrem prōmīsērunt.

Quid plūra? eō verba lēgātōrum imperātōris et nostrōrum pervēnērunt, ut comes, relictō exercitū, sōlus cum paucīs et inermis ad imperātōrem festīnāret. Dīcēbant enim quia Boamundus et dux Lotharingiae, et Flandrēnsis comes, et aliī prīncipēs, hoc precābantur, ut properāret comes convenīre imperātōrem dē itinere Iherosolimitānō; ut, assūmptā cruce, dux et imperātor in exercitū Deī fieret. Ad haec aiēbant imperātōrem dīxisse, omnia cum comite sē āctūrum, et dē sē, et dē aliīs, quae itinerī ūsuī forent; praetereā nūntiābant bellum imminēre, et, sī auctōritās tantī virī abesset, fortassis incommodum fore; itaque cum paucīs comes adventāret, ut quum exercitus suus vēnisset, compositīs cum imperātōre omnibus, nūllīs in moram fieret.

Victus tandem comes est, ut, hāc sōlā vice relictō praesidiō in castrīs, exercitum praecēderet; et sīc Cōnstantīnopolim inermis vēnit. Facile autem rēs gesta hactenus mē scrīptōrem quibusdam laetitiae et prosperitātis gressibus comitābātur, quae tantō acerbitātis et moerōris onere nunc premit, ut incēpisse mē taedeat, quum perficere vōtum sit. Quid vērō potissimum et prīmum aggrediar dīcere? An imperātōris fraudulentissimam ac dētestābilem ammonitiōnis dolōsitātem? An exercitūs nostrī turpissimam fugam et inopīnābilem dēspērātiōnem? An mortēs tantōrum prīncipum ēnumerandō, perpetuī moerōris monumenta relinquam? Haec autem quīcumque nōsse dēsīderat, ab aliīs potius quam ā nōbīs requīrat. Hoc ūnum valdē memorābile, silentiō dīgnum excūsāmus: quod dum omnēs nostrī castra relinquere, fugam arripere, dēserere sociōs, dīmittere omnia, quae dē tam longinquīs regiōnibus asportāverant, meditārentur,

vindicta -ae f "Deus quī dās vindictās mihi" (II Reg. 22)

aliquantulus "Post aliquantulum autem temporis" (Iud. 15)
prae-mittō
accipiō acceptā
prosper = fēlix

inermis "nē inermis ad proelium mitterētur" (Sulp. Mart.)

precor cf. prex

agō āctūrum
praetereā "Dixit praetereā Dominus ad Mōÿsēn" (Ex. 20)
auctōritās -ātis f "quum ista sīs auctōritāte" (Heuz. prof. 5, 22)
fortasse "Fortasse tū nōn nōstī hunc" (Viv. 24)
incommodum -ī n "Post proelium autem māgnum incommodum nūntiātum est." (Pro patr. 12)
adventō cf. adventus
mora "In imperātōre nūlla est mora." (Pro patr. 18)
scrīptor -ōris m < scrībere
prosperitās -ātis f "In manū Deī prosperitās hominis" (Eccli. 10)
gressus -ūs m = gradus
comitor cf. comes
acerbitās -ātis f "Antiochus dolōris acerbitāte victus tandem ad sānam mentem rediit" (Epit. 201)
moeror = dolor
premō = opprimō
taedet "Nōlī timēre nē tē taedeat." (Pons tir. 9)
fraudulentus "Fraudulentī vāsa pessima sunt" (Is. 32)
dolōsitās -ātis f = dolus
ē-numerō
memorābilis "nūlla rē memorābilī gesta" (Epit. 209)
excūsō "Et coepērunt simul omnēs excūsāre." (Luc. 14)
longinquus "Dē terrā longinquā vēnimus" (Ios. 9)
asportō = portō
meditor = cōgitō

per salūtiferam poenitentiae atque ieiūniī opem ad tantam cōnstantiae fortitūdinem sunt reductī, ut sōlus pudor prius habitae dēspērātiōnis et fugae vehementissimē eōs afficeret. Et dē hīs hactenus dictum sit.

Honōrificentissimē itaque ab imperātōre, et prīncipibus suīs susceptō comite, postulat imperātor ā comite hominium et iūrāmenta, quae cēterī prīncipēs eī fēcerant. Respondit comes: "Sē ideō nōn vēnisse, ut dominum alium faceret, aut aliī mīlitāret, nisi illī propter quem patriam et bona patriae suae dīmīserat. Et tamen fore, sī imperātor cum exercitū īret Iherosolimam, quod sē et suōs et sua omnia illī committeret." Sed imperātor excūsat iter, dīcēns: "Praemetuere sē Alemannōs et Ungarōs, et Comānōs, aliāsque ferās gentēs, quae imperium suum dēpopulārentur, sī ipse trānsitum cum peregrīnīs faceret." Intereā comes audītā morte suōrum et fugā, sē prōditum esse crēdidit; et imperātōrem, per quōsdam prīncipēs dē nostrō exercitū, factae prōditiōnis commonefacit.

At Alexius dīcit sē nescīsse nostrōs dēpopulātōs esse rēgnum suum; sē et suōs multās passum esse iniūriās. Nihil esse quod comes querēbātur, nisi quod, dum exercitus comitis solitō mōre vīllās et castra vastāret, exercitū suō cōnspectō, fugam arripuerit; tamen pollicētur sē satisfactūrum comitī, atque Boamundum obsidem satisfactiōnis dedit. Ad iūdicium veniunt: cōgitur comes, praeter iūs, absolvere obsidem.

Intereā exercitus noster Cōnstantīnopolim vēnit; et post haec episcopus cōnsecūtus est nōs cum frātre suō, quem īnfirmum dīmīserat Dirachiī. Mandat et remandat Alexius, pollicētur multa sē datūrum comitī, sī quaesītum hominium sibi faceret, quod et aliī prīncipēs fēcerant. Meditābātur autem assiduē comes quāliter suōrum iniūriam vindicāret, et tantae īnfāmiae dēdecus ā sē suīsque dēpelleret. Sed dux Lotharingiae et Flandrēnsis comes, atque aliī prīncipēs, huiusmodī dētestābantur, dīcentēs: "Stultissimum esse contrā Christiānōs pūgnāre, quum Turcī imminērent."

salūtifer "quod per tuam salūtiferam doctrīnam iugum diaboli meruimus ēvādere" (Vit. sanct. 61)
cōnstantia -ae f "Videntēs autem Petrī cōnstantiam" (Act. 4)
honōrificus "opera autem Deī revēlāre et cōnfitērī honōrificum est" (Tob. 12)
suscipiō susceptō
faciō fēcerant

mīlitō cf. mīles

eō īret

prae-metuō

dēpopulor "quidquid habēre potuerant dēpopulātī sunt" (Num. 31)

commonefaciō = admoneō

queror "Dē patre impiō queruntur filiī" (Eccli. 41)

satis-faciō

ab-solvō = solvō

obses -idis m f "quī fuerat Rōmae obses" (I Mach. 1)

quāliter "sciō quāliter cum ūnōquōque sit" (Imit. 3, 24)
vindicō "Deus enim vindicāns vindicābit." (Eccli. 5)
īnfāmia -ae f "nōn poterunt ūtilēs esse cum īnfāmiā" (Puer Rom. 35)
dēdecus -oris n = opprobrium
dētestor "quī coepērunt eum dētestārī" (Iud. 9)

Boamundus vērō sē adiūtōrem imperātōrī pollicētur, sī quicquam comes contrā ipsum mōlīrētur, vel sī hominium et iūrāmenta diūtius excūsāret. Cōnsiliō itaque acceptō ā suīs, comes Alexiō vītam et honōrem iūrāvit, quod nec per sē, nec per alium eī auferret. Quumque dē hominiō appellārētur, respondit nōn sē prō capitis suī perīculō id factūrum. Quāpropter pauca largītus est eī imperātor.


adiūtor -ōris m "Dominus factus est adiūtor meus." (Ps. 29)

iūrāmentum -ī n "Sit iūrāmentum inter nōs" (Gen. 26)

accipiō acceptō

quāpropter "Quāpropter haec faciam tibi" (Am. 4)

largior = dōnō



3

UBI VENIUNT AD NICAEAM URBEM, ET UBI REDDITA FUIT IMPERATORI

trānseō trānsīvimus

¶ Itaque mare trānsīvimus, et ad Nīcaeam usque pervēnimus. Praecesserant enim comitem dux et Boamundus, atque aliī prīncipēs; et obsidiōnī operam dabant. Est itaque Nīcaea urbs mūnītissima, tam nātūrā quam ingeniō. Habet ab occidente lacum māximum, mūrīs īnfluentem; ā reliquīs tribus partibus vallum dē restāgnātiōne quōrumdam rīvulōrum plēnum; praetereā mūrīs ita ēminentibus cingitur, ut nūllōrum hominum assultūs, nūllīus māchinae impetus vereātur: balistāria vērō vīcīnārum turrium, sīc respicientia sunt adinvicem, ut sine perīculō nūllus accēdere possit; sī quis autem propius accēdere voluerit, obesse quum nequeat, facile dē altitūdine turrium obruitur.

mūnītus “ad Iūdam in Ierusalem mūnītissimam” (Ez. 21)
occidēns -entis m “in Aser contrā occidentem” (Ios. 19)
in-fluō
cingō = circumdō

assultus = impetus
māchina -ae f “fēcērunt contrā eam māchinās multās” (I Mach. 11)
vereor = timeō
vīcīnus = proximus
ad-invicem
obsum = noceō
nequeō “Sine tē esse nequeō” (Imit. 4, 3)
obruō = opprimō
septentriō -ōnis m “quī ad septentriōnēs situs est” (Pro patr. 12)
re-ticeō

in-ibi = ibi

Hanc igitur tālem, ut dīximus, cīvitātem, Boamundus obsēdit ā septentriōne; dux et Alemannī ab oriente; comes et episcopus Podiēnsis ā merīdiē; nam Normanniae comes nōndum erat nōbīscum. Sed hoc ūnum reticendum nōn crēdimus, quia, quum comes inibi cum suīs hospitārī